

In ea rerum fluctuatione ita cum Sabauda Ferdinandum convenisse vulgatur, ut puella cum matre Mutinam deducere-
tur; ibi cum Isabella sorore, Mutinensis Principis conjuge,
tandiu moraretur, donec controversiæ inter Carolum ac Fer-
dinandum componerentur, ea tamen lege, ut, matre disceden-
te, puella illico Mantuam mitteretur. Mirabantur plerique,
quod, qui hucusque tam acriter perstitisset, modo de senten-
tia tam facile dejectus esset; illectum alii Hispanorum artibus,
alii Caroli calliditate circumventum Principem fuisse arbitra-
bantur. Leonius, Galli legatus, quanta ex eo consilio Car-
dinali damna immineant, Patribus exponit: *Quid sibi certi*
a Carolo polliceretur? quem exitum dissidiorum expectaret?
frustra filiolum Principem sibi non eripi conatum, si Mutinam
perduci sinat: satius fuisse, amotis dissidiis, statim Caroli
postulatis obsequi, quam diu reluctantem, obsistentem, tandem
se vinci permittere: hisce quacunque ratione posset, ne per-
ficiantur, obstaturum; Cardinali significaturum, ni penitus
ejusmodi consilia deserat, Regine patrociniū amissurum.
Ut omni officio Cardinalem ad salubriora consilia tradu-
cere, atque cœptis ut absistat, suadere, nitantur Pa-
tres, hortatur. Veruntamen id accidit, quo referre pe-
dem ac pollicitis se exsolvere Cardinalis potuit. Nam,
omnibus ad profectiōem comparatis, Mutina literæ adve-
niunt; Cæsarem Ducem, neque puellam recipere, neque si
recipiat, ulla se conditione obstringi velle. Itaque re infecta,
puella ex Goiti vico, ubi cum matre morabatur, Mantuam
defertur. Sabaudia Princeps, una cum sorore, Augustam Tau-
rinorum recta contendit. Vix Mediolanum pervenerant, cum
Inojosæ marchio, veredario cum literis Mantuam misso, a
Cardinale petit, ut filiolum Mediolanum deduci curet; ma-
trem eam ibi præstolaturam. Negat Cardinalis; gubernator
Didacum Levam Mantuam proficisci jubet, qui Mutinam
puellam mitti flagitet; Cæsarem Estensem legibus iis ac
conditionibus, in quas ipse Mantuanus consenserat, receptu-
rum. At ipse jam se promissa implevisse, rebus immutatis,
consilia quoque mutasse, neque puellam Mutinam missu-
rum affirmat; statimque Diocæsareæ Episcopum, qui sui con-
silio rationes gubernatori ac viduæ exponat, Mediolanum

1613

*Paſſa
inter Sa-
baudum &
Mantuanē
a Gal-
lo oratore
improbata.*

*Ferdin-
andus
dux a pa-
tris recedit.*

*Sabaudia
Princeps
cum sorore
Augustam
Taurino-
rum contem-
dit.*

*Diocæsare-
us Episco-
pus a Man-
tuano Me-
diolanum
mittitur.*

mit-